



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Mortis conditio iustis, Deiq[ue] amicis non timenda. Can. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

2. Cor. 5.

Psal 41.

grauissimum videtur exilium: vti verissimè Apostolus meus Paulus protestatus est, dicens: *Quamdiu sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino.* Huic concordat regi-  
 gius ille Psaltes Dauid, cui præsens hæc vita, admodum fuit molesta & grauis, qui  
 ita in Psalmo loquitur: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Quando veniam &  
 apparebo ante faciem Dei.* Hæc de mortis origine, speciebus & effectibus sint dicta.

*Mors vt Sanctis fit in desiderio, & à quantis malis liberet.*

## CANON VIII.

**V**T autem dilucidius intelligas ô filia quæ dico, scito & pro comperto habes  
 mortem) quæ est ianua atque introitus ad vitam) Sanctis meis esse in deside-  
 rio, & vitam in patientia, propter nimium me videndi, contemplandi & lau-  
 dandi desiderium, quod vsque adeò in eorum cordibus excreuit, dum meū erga se  
 amorē, & gaudia cœlestis patrie meditatur, vt graue nimis illis videatur, nō posse  
 semper mea præsencia & dulci familiaritate perfrui. Quid enim habet amittere cū  
 hac misera infelici vita huiusmodi anima, nisi peccandi statū, delictorum laqueos,  
 ruinarum occasiones, inimicorum fraudes, propriam fragilitatem, timores, aliq̃  
 innumera, quæ animam vel ignorantem, vel infirmam, vel tepidam ( vt corporis  
 pericula hic taceam ) & propterea semper mutantem atque instabilem coangustant?  
 Multa hic vult anima, quæ non deberet, aut quæ nescit etiam se velle. Multa vult,  
 quæ non potest. In multis anima est ignara, cæca, & ambulans inter laqueos, aut in  
 tenebris, vnde se nescit extricare. Quomodo non meritò optaret, quomodo non  
 iam gauderet se ab his tristitijs atque periculis liberari? Quid itaque ô anima iam  
 times, quid non desideras mortem? Quid enim mali tibi adferet mors? Si nihil in  
 hoc mdo amas, nihil tibi mors tollere potest. Si aliquid mundi amas, cū periculo,  
 imò ipsum tuum periculum amas. Ante igitur mortē, amare desine, vt timere ha-  
 beas mortem. Porrò, si me solum in hac vita amas, gaude, quia morieris, & nō nisi  
 moriens assequeris quod amas. Verūm scio quid times: nihil quidem in hoc  
 mundo diligis, nihil quod amittere aut nolis, aut doleas, possides. Angustat tamen  
 te formido & pauor, quia nescis amore an odio dignus sis: nescis quomodo à me sis  
 excipienda, ad requiem, an ad pœnam. Nihil horum filia debes scire, imò ne expe-  
 dit quidem. Sta, licet timeas, in spe & fiducia, & viuens & moriens erga me. Nō po-  
 tes ex te bene viuere, & non potes ex te bene mori. Vtrunque habes ex me. Quomo-  
 do si tibi dederō bene viuere, non dabo etiam bene ac feliciter mori? Cum igitur  
 omnia habeas ex me, cum omnia ex me expectes, quomodo vnū speras, aliud des-  
 peras? Ex te neque bene viuere, neque bene mori potes. Confide igitur in me, iacta  
 cogitatum tuum in me, proijce omnē timorem & sollicitudinem tuam in me. Sicut  
 nulli potes tentationi resistere, nullum euadere peccatum viuens, ita nec moriens.  
 Si vigentem te non derelinquo, si tentationem fideliter præuenio ac moderor in  
 vita vt possis sustinere, ita id ipsum facio in morte. Nunquam tuis armis vadas in  
 prælium, sed innitendo super me. Si innixa fueris super me, ego pugnabo pro te.  
 Porrò me pugnante ac propugnante, quid habes timere, quæ nihil es ex te.

*Mortis conditio iustis, Dei que amicis non timenda.*

## CANON IX.

Anima vt in  
 multis sit  
 cæca & nescia

Eccle 9.

Psal 54.  
1. Pet. 5.

**C**Aeterum, de conditione ac genere mortis nihil hæreas. Nullum est genus moriendi, quod nocere possit iusto. *Iustus enim quacunque hora fuerit præoccupatus morte, in refrigerio erit.* Nihil itaq; apud te referat domi an foris, in lecto, an in agro moriaris: nihil item formidandum est, naturalis sit mors, an violenta, quæ te extinguit. Nã si mortis genus aliud alio felicius esset, infelicissimi fuissent planè omnes Sancti mei, quorum maxima olim pars iuxta mundi iudiciũ, atque in oculis carnis, infelicissimè hac vita essent defuncti. Quis enim Sanctorum martyrum naturali atque matura morte consumptus est? Quem violentia crucis, equulei, ignis, gladijve non extinxit? Nihil igitur tibi oberit siue peste, siue apoplexia, siue alio genere mortis, in lecto in campo moriaris. Vigila tantum, vt in fide, spe ac charitate inueniaris, & nulla tibi mors nocebit aut sepultura.

Verũ enim uero, quia tibi loquens, ad eos quoque loquor, qui adhuc in meo sunt amore imperfecti, hoc vobis omnibus consulo, vt innocentiam diligatis, malum odiat. Si peccasti, quæcunque es anima, quiesce, dolo, & pœnite, quod peccaueris, quamdiu viuis. Verũ ita pœnite, si fructuosam tibi optas pœnitentiam, vt ad peccatum, peccandi ve statim non denuò reuertaris. Semper mortem expecta, & ad hanc quasi iam moritura te para.

*Boni vt à malis in morte discernantur.*

## CANON X.

**V**erum ne spiritu adhuc infirmis desit institutio aliqua pia, qua fulciti discant aliquando mori, plura ijs adjiciam. Principio igitur meminisse debes, *Heb. 12. Psa. 55.* quod Apostolus meus dicat, & res ipsa doquat, vos hic manentem non habere ciuitatem, sed futuram inquirere, ad quam hic in mundo haud aliter atque in itinere peregrini ambulatis. Finitur autem peregrinatio vestra, dum consumitur vita vestra. Itaque mors ipsa vltima linea rerum mediat inter exilium, in quo estis, & patriam ad quam pergitis: aded vt non sit alia porta, per quam de hac valle peregrinationis egrediamini, & patriam intretis, nisi per mortem. Certissima igitur vos manet mors, quemadmodum certissimus vobis constitutus est vitæ vestræ finis. Sed hoc interest inter bonos & malos, quod hic in peregrinatione mixti: omnes peregrinamini: omnes, quamuis non recto itinere, ad patriam anhelatis beatam: omnes, quamdiu in itinere estis, etiam si hallucinamini, redire ad vitam veram potestis. Cum verò ad itineris finem perueneritis, in porta ipsa, id est, in morte, discernimini, vt alij de exilio ad vitam, alij ad miseriam & mortem eatis sempiternam. Non igitur parum aduertendum est, non negligenti animo obseruandum, quomodo ad mortem quis veniat. Ibi enim omnia post vos relinquitis, in quibus confidatis: sint diuitiæ, honores, amici & vana alia quæcunque in morte nihil conducunt vobis, sed post vos illis relictis, soli ibitis ad Dei tribunal, accepturi secundum opera vestra. Quocirca quanta cæcitas, quanta est dementia, gaudere hic in itinere, amare caduca, quæ nihil profunt, tempus & bene viuendi occasiones negligere, quasi sine Deo in stupore & ariditate mentis, sola quæ carnis sunt sapere, ad eternam tantum effluere, & statum interioris hominis, periculatq; non aduertere, sicquod mortem venire? Heu quàm innumeri hic falluntur, quàm illaqueantur mundi amore tot miseri, quàm infeliciter diaboli iugum trahunt captiui. Et sic inspirate ad mortem veniunt, corde duri & obcæcati. Heu quàm infelix est eorum vitæ finis, apud quos nulla fuit meditatio mortis, nulla præparatio salutis. Abijcienda

Dddd igitur

Mors vt sit  
ianua ad vi-  
tam beatã.

Ad mortem  
vt perueniatur.

Mors in-  
preparata  
quam sit  
periculosa.